



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3 V. fuerit aliquis modus conuenientior ad liberationem humani generis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

COMMENTARIUS.

Textus D. Thomae est perspicuus, si aduertamus, eum non loqui, de necessitate simpliciter, neque id melius esse, vel ex suppositione, sed abstracte, ac precise, nam in sequentibus explicat modum huius necessitatis. Tres vero quaestiones hic attigit D. Tho. Prima, an Christus libere, vel necessario sese morti obtulerit, quam priori tomo disput. 37. late disputauimus. Secunda an eius passio fuerit necessaria ad reparationem generis humani. Tertia, in sol. ad 3. cur Deus hominem lapsum reparauerit, & non Angelum, quas eodem tomo disputat. 4. sect. 1. & 2. & 4. tractauimus, ubi etiam diximus, cur magis dicatur nos redemisse Christus per passionem, & mortem, quam per alia opera vitae suae.

ARTICVLVS II.

Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humane quam per passionem Christi.

247.
dist. 20. ar.
4. q. 1. & 2.
p. 1. c. 17.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit possibilis alius modus liberationis humane, quam per passionem Christi. Dicit enim Dominus Ioan. 12. Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit, ubi dicit Augustinus quod seipsum granum dicebat. Nisi ergo mortem passus esset, aliter fructum nostrae liberationis non fecisset.

Tract. 15. in
Ioan. circa
med. 10. 9.

Can. 31. in
Mat. no mul-
tas tua. Loquitur aut
ibi de calice passionis, ergo passio Christi
tum remote
a fine.

2. Præterea, Matth. 26. Dominus dicit ad Patrem, Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Loquitur aut ibi de calice passionis, ergo passio Christi præterire non poterat. Vnde & Hilarius dicit: ideo calix transire non potest, nisi illum bibat, quia reparari, nisi ex eius passione, non possumus.

3. Præterea, iustitia Dei exigebat, ut homo à peccato liberaretur, Christo per passionem satisfaciendo. Sed Christus suam iustitiam non potest præterire: dicitur enim 2. ad Tim. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Scipsum autem negaret, si iustitiam suam negaret, cum ipse sit iustitia, ergo videtur, quod non fuerit possibile alio modo hominem liberari, quam per passionem Christi.

4. Præterea, Fidei non potest subesse falsum. Sed antiqui Patres crediderunt Christum passurum, ergo videtur, quod non potuerit esse, quin Christum pateretur.

lib. 13. c. 10.
circa princ.
tom. 3.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 13. de Trin. Istum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignaretur, asserimus bonum, & diuina congruum dignitati, verum etiam ostendimus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacerent.

Respondeo dicendum, quod aliquid potest dici possibile, vel impossibile dupliciter. Vno modo simpliciter, & absolute, alio modo ex suppositione. Simpliciter igitur absolute loquendo, possibile fuit Deo alio modo hominem liberare, quam per passionem Christi: quia non est impossibile apud Deum omne verbum, ut ait Luc. 1. Sed ex aliqua suppositione facta, fuit impossibile: quia enim impossibile est Dei praesentiam falli, & eius voluntatem, seu dispositionem cassari, supposita praesentia, & praedestinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quam per eius passionem liberare. Et est eadem ratio de omnibus his, quae sunt praesentia, & praedestinata à Deo, ut in prima parte habitum est.

Part. 1. q. 13.
art. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus ibi loquitur supposita praesentia, & praedestinatione Dei secundum quam erat ordinatum, ut fructus humane salutis non se-

Aqueretur, nisi Christo patiente. Et similiter intelligendum est, quod secundo obicitur. Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, scilicet propter hoc, quod tu ita disposuisti, unde subdit: Fiat voluntas tua.

Ad tertium dicendum, quod haec etiam iustitia dependet ex voluntate diuina, ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato, nam si voluisset absque omni satisfactione hominem à peccato liberare, contra iustitiam non fecisset. Cuius enim Iudex non potest salua iustitia culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam: puta, vel in alium hominem, vel in totam rem publicam, siue in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum, & commune bonum totius vniuersi. Et ideo si dimittat peccatum, quod habet rationem culpa ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam: sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, & non iniuste agit. Et ideo David miser cordiam petens, dicebat: Tibi soli peccavi: quasi dicat, potest sine iniustitia mihi dimittere.

Ad quartum dicendum, quod fides humana, & etiam Scriptura Diuina, quibus fides instruitur, innuntiant praesentia, & praedestinationi Diuina. Et ideo eadem ratio est de necessitate, quae prouenit ex suppositione eorum, & de necessitate, quae prouenit ex praesentia, & voluntate Diuina.

Huius articuli nihil addendum occurrit, sed videnda sunt dicta in citatis locis.

ARTICVLVS III.

Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod alius modus convenientior fuisset liberationis humane, quam per passionem Christi. Natura enim in sua operatione imitatur opus diuinum, utpote à Deo mota, & regulata. Sed natura non facit per duo, quod per unum potest facere. Cur ergo Deus potuerit hominem liberare sola propria voluntate, non videtur conueniens fuisset, quod ad liberationem humani generis Christi passio adderetur.

2. Præterea, ea, quae sunt per naturam, conuenientius fiunt, quam ea, quae sunt per violentiam: quia violentia est quaedam excisio, seu casus ab eo, quod est secundum naturam: ut dicitur in libr. 2. de celo. Sed passio Christi mortem violentam induxit, ergo conuenientius fuisset, ut Christus naturam mortis moriendo, hominem liberaret, quam quod pateretur.

3. Præterea conuenientissimum videtur, quod ille, qui violenter, & iniuste detinet aliquid, per superioris potentiam spoliatur, unde Isai. 52. dicitur: Grati venundati estis, & si ne argento redimimini. Sed diabolus nullum ius in hominem habebat, quem per fraudem deceperat, & per quandam violentiam seruituti subiectum detinebat. Ergo videtur conuenientissimum fuisse, quod Christus diabolum per solam potentiam spoliaret, absque sua passione.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 13. de Trin. Sananda nostra miseria conuenientior modus alius non fuit, quam per Christi passionem.

Respondeo dicendum, quod tanto aliquis modus conuenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quae sunt experientia fini. Per hoc autem, quod homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt ad salutem hominis pertinentia præter liberationem à peccato. Primo enim per hoc homo cognoscit, quantum Deus hominem diligit, & per hoc prouocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humane salutis consistit.

248.
dist. 18. ar.
3. dist. 18. ar.
6 q. 3. cor. &
dist. 20. ar.
4 q. 1. &
quod 2. ar. 2.

Ex lib. 2. rex.
18. tom. 2.

lib. 13. c. 10.
paulo post
princ. tom. 3.

ARTICVLVS IV.

Utrum Christus pati debuerit in cruce.



Quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus non debuerit pati in cruce. Veritas enim debet respondere figura. Sed in figura Christi precesserunt omnia sacrificia veteris Testamenti, in quibus animalia gladio necabantur, & postmodum igni cremabantur. Ergo videtur, quod Christus non debuerit pati in cruce, sed magis gladio, vel igne.

2. Preterea, Damascenus dicit, quod CHRISTVS non debuerit assumere detestabiles passiones. Sed mors crucis videtur fuisse maxime detestabilis, & ignominiosa, unde dicitur Sapient. 2. Morte turpissima condemnemus eum. Ergo videtur, quod CHRISTVS non debuerit pati mortem crucis.

3. Preterea, De CHRISTO dicitur, Benedictus qui venit in nomine Domini, ut patet Mat. 21. Sed mors crucis erat mors maledictionis, secundum illud Deut. 21. Maledictus est & Deus, qui pendet in ligno. Ergo videtur, quod non fuerit conueniens Christum crucifigi.

Sed contra est, quod dicitur Phil. 2. Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Respondetur dicendum, quod conuenientissimum fuit Christum pati mortem crucis. Primo quidem, propter exemplum virtutis. Dicit enim Augustinus lib. 83. quæst. Sapientia Dei hominem ad exemplum, quod recte vueremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam eternam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere. Sunt autem homines, quia quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis recte viuenti homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius, & formidabilius. Secundo, quia hoc genus mortis maxime conueniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo, quod contra mandatum Dei, pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conueniens fuit, quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat: secundum illud Psalm. 64. Quæ non rapui, tunc exolvebam. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de passione. Contempsit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum: sed quicquid Adam perdidit, Christus in cruce inuenit. Tertia ratio est, quia (ut Chrysostomus dicit in sermone de passione) in excelsis ligno, & non sub recto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundetur, sed & ipsa terra simile beneficium sentiebat, de currentis de latere sanguinis stillatione mundata. Et super illud Ioannis 3. Oportet exaltari filium hominis, dixit. Exaltari audiens, suspensionem intelligas in altum, ut sanctificaret aerem, qui sanctificauerat terram, ambulando in ea. Quarta ratio est: quia per hoc, quod in alto moritur, ascensum nobis parat in celum, ut Chrysostomus dicit. Et inde est, quod ipse dicit Ioann. 12. Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quinta ratio est, quia hoc competit vniuersali saluationi totius mundi. Vnde Gregorius Nissenus dicit, quod figura crucis à medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem & prouidentiam eius, qui in ea pependit, ubique diffusam. Chrysostomus etiam dicit, quod in cruce expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex Gentibus sunt, trahat. Sexta ratio est, quia per hoc genus mortis diuersæ virtutes designantur. Vnde Augustinus dicit in lib. de gratia vet. & noui Testamenti. Non frustratale genus mortis elegit, ut latitudinis, & altitudinis, & longitudinis, & profunditatis, de quibus Apost. loquitur, magister existeret. Nam latitudo,

fit. Vnde Apostolus dicit Roman. 5. Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientie, humilitatis, constantie, iustitie, & ceterarum virtutum in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessaria ad humanam salutem. Vnde dicitur 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Tercio, quia Christus per passionem suam non solum hominem à peccato liberauit, sed etiam gratiam iustificantis, & gloriam beatitudinis ei promeruit, ut infra dicitur. Quarto, quia per hoc est homini inducta maior necessitas, se immunem à peccato conseruandi, qui se sanguine CHRISTI redemptum cogitat à peccato: secundum illud prima Corinth. 6. Enim enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Quinto, quia hoc ad maiorem dignitatem hominis cedit: ut sicut homo victus fuerat, & deceptus à Diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret: & sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo, mortem superaret: unde dicitur prima ad Corinthios 15. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et ideo conuenientius fuit, quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quod natura etiam ut aliquid conuenientius faciat plura ad vnum assumit, sicut duos oculos ad videndum. Et idem patet in aliis.

Ad secundum dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit, CHRISTVS non iussit mortem, quam non habebat, cum sit vita, sed hominum mortem venerat consumpturus, unde non propria morte corpus deposuit, sed ab hominibus illam sustinuit. Sed et si agrotauisset corpus eius, & in conspectu omnium solueretur, in conueniens erat, eum, qui sanaret aliorum languores, habere proprium corpus affectum languoribus. Sed & si abique morte corpus aliquibus seorsum deposuisset, ac deinde se offerret, non crederetur ei de resurrectione differenti. Quomodo enim pateret CHRISTI in morte victoria, nisi coram omnibus eam patiens per incorruptionem corporis probasset extintam.

Ad tertium dicendum, quod licet diabolus iniuste inuaserit hominem: tamen homo propter peccatum, iuste erat sub seruiente diaboli derelictus à Deo. Et ideo conueniens fuit, ut per iustitiam homo à seruiente Diaboli liberaretur, CHRISTO satisfaciente pro ipso per suam passionem. Fuit etiam hoc conueniens ad vincendam superbiam diaboli, qui est defector iustitie, & amator potentie, ut CHRISTVS diabolum vinceret, & hominem liberaret, non per solam potentiam Deitatis, sed etiam per iustitiam, 1. ex e. 13. & 19. simul. 2. 3. & humilitatem passionis, ut Augustinus dicit 13. de Trinitate.

COMMENTARIVS.

Hic etiam articulus in supradictis locis est expositus. Solum circa rationes D. Thom. & id, quod Caietanus notat, aduertendum est, duplicem hic fieri posse comparisonem: vna est, alterius modi redemptionis, quæ esset à persona creata, cum redemptione facta à persona diuina, in quo sensu quæstio hæc magis est de incarnatione ipsa, quam de passione, quamquam rationes D. Thom. præsertim 1. 3. & 4. etiam in hoc sensu procedant. Potest vero fieri alia comparatio inter hunc modum redemptionis, & alium qui esset ab eadem persona diuina, non per mortem, sed per aliud genus actionis: & hæc videtur esse propria huius loci, & de illa optime procedunt etiam rationes D. Thom. cætera videantur locis citatis.